



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCLXXXVI. Der Churfürsten Mandat wegen der Königswahl, wobei Otto als  
Churfürst mitwirkend auftritt, vom 28. Juli 1298.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

**CCLXXXVI.** Der Churfürsten Mandat wegen der Königswahl, wobei Markgraf Otto als Churfürst mitwirkend auftritt, vom 28. Juli 1298.

Gerhardus, Dei gracia Moguntinensis, Boymundus Treverensis, nec non Wigboldus Colonienfis ecclesiarum archiepiscopi, Wenzlaus rex Boemie, Rudolfus comes Palatinus Rheni, dux Bawarie, Albertus dux Saxonie, nec non Otto marchio Brandenburgensis, Romanorum regis de iure et approbata consuetudine electores, universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prelatibus, regibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, ceterisque sacri Romani imperii fidelibus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Vacante iam pridem Romanorum regno per mortem dive recordationis domini Adolphi quondam Romanorum regis, nos principes prefati apud Mogunciam pro salubri sacri status imperii reformacione, pro celeri Romanorum regis futuri creacione, nec non propter evidentem et opportunam totius rei publice utilitatem et urgentem necessitatem eiusdem imperii, convenientes in unum, post varios et diversos tractatus inter nos habitos, pensata utilitate rei publice, omnium nostrum voluntate unanimi et consensu prefixa fuit dies ad eligendam personam idoneam in Romanorum regem, videlicet sexto Kalendas Augusti, in civitate Vrankinvort, loco ad hoc debito et consueto. Qua die vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes ibidem, post multiplicem et maturum cum omnimoda sollicitudine de futuri Romanorum regis electione, premissa diligenti deliberatione, tractatum, Spiritus sancti gracia primitus invocata, in illustrem principem dominum Albertum, ducem Austrie et Stirie, virum utique nobilem et potentem, de regali prosapia procreatum, laudabilis strenuitatis paterne vestigia immitantem, in omni virtuositate morum et conversationis multipliciter commendatum, valentem et potentem iura imperii regere et defendere et in melius reformare, ac in statu tranquillo et pacifico conservare, cum sollempnitatibus debitis et consueta, tamquam in magis utilem et idoneum tanto regimini gubernando, habito ad rei publice utilitatem et profectum respectu potissimo, de communi consensu, omnes et singuli pari concordia oculos nostros iniecit, ipsum in regem Romanorum, in imperatorem futurum promovendum, una voce votoque unanimi, concorditer, rite et legitime eligendo. Qua quidem concordie electione canonice quasi divinitus celebrata, eundem inenarrabili immensitate tripudii, omnium applaudente caterva nobilium, nec non populi comitiva letante, ac in superne laudis canticum gratulabundius assurgente, cum magna precum instantia et sollicitudine diligenti duximus requirendum, ut ipse electioni per nos de ipso facte et celebrate concorditer, precipue propter Deum et utilitatem rei publice suum dignaretur impertiri consensum. Qui tandem omnium nostrum devictus instantia et nobilium caterva, nec non totius populi acclamantis laudabilibus votis et desideris superatus, tam onerosi regiminis sarcinam subeundo, huiusmodi electioni de se celebrate legitime annuit et consensit. Quapropter universitatem vestram rogamus, requirimus et hortamur attente, mandantes vobis nichilominus per presentes, quatenus eidem domino Alberto per nos in Romanorum regem, tam rite, tam provide sic electo, prefertim eum idem rex sit fide catholicus ecclesiarum amator, iusticie cultor, consilio pollens, potens viribus et multorum potentum affinitate

connexus, Deo ut opinamur amabilis, et humanis aspectibus graciosus, ac insuper corpore strenuus et in actibus bellicis contra perfidos fortunatus, propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, quod sub eius principatu pacifico quies regno proveniat, pax ecclesiis, concordia plebibus et moribus disciplina, fidelitate sincera intendere cum devotione debita studeatis et recognoscentes ipsum rite et canonice electum ad regie celsitudinis dignitatem et gubernandam rem publicam, adeo fructuosus eidem consiliis et auxiliis opportunis debeatis assistere et fideliter adherere, quod vestre promptitudinis subsidio mediante, per eum commissum a Deo sibi regimen geratur utilius et salubrius gubernetur, quodque sub eo iura lacerata reintegrentur imperii et status facilius reformetur. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorum presens decretum conscribi iussimus et sigillis nostris pendentibus roborari. Datum et actum apud Vrankin vort, V. Kalendas Augusti, anno Domini MCCLXXXVIII, indictione XI.

Nach dem Originale des K. K. Geheimen Haus-, Hof- und Staats-Archives in Wien. — Per § Monumenta historica Germaniae IV. Legum II, 470.

**CCLXXXVII.** Markgraf Hermann, so wie Markgraf Otto von Brandenburg, ertheilen ihren Consens dazu, daß König Albert dem Erzbischofe von Trier das demselben vom Könige Adolph ehemal verpfändete Reichschloß Kochem eigenthümlich abgetreten, am 29. Juli 1298.

Hermannus, dei gracia Marchio Brandenburgensis, Vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum noster ad ea, que Ecclesiarum respiciunt commodum et fauorem, desideratur assensus; rationi conuenit et equitati consonat, ut talibus assentire beniuole debeamus. Sane cum serenissimus quondam dominus Adolfus, Romanorum Rex, diue memorie, post creacionem suam in Regem, consideratis fructuosus seruiciis venerabilis in cristo patris et domini Boemundi, Treuerorum Archiepiscopi, et grauibz expensis, quas in ipsius Regis electione et post pro publica vtilitate tam dicti Regis quam sacri Imperii fecerat, obligauerit castrum suum de cocheme cum omnibus suis iuribus et pertinenciis predicto archiepiscopo pro tanta summa pecunie, quod uix spes esse poterat lucionis (sic); Serenissimus dominus Albertus, nunc Romanorum Rex, attendens grata seruicia, que dictus Archiepiscopus retroactis temporibus eidem et sacro Imperio impendit, et magnitudinem expensarum, considerans eciam quod sibi et sacro Imperio poterit vltiora inpendere seruicia in futurum, Et volens ob hoc eundem Archiepiscopum et Ecclesiam Treuerensem condignis attollere fauoribus, Sepredicto archiepiscopo et eius fauore successoribus suis et Ecclesie Treuerensi Regali largitate in emendacionem suorum feodorum donauit et concessit predictum castrum de kocheme cum omnibus suis iuribus et pertinenciis, in quibuscumque rebus consistant, Ita quod predictus archiepiscopus et sui successores dicti castri perpetui et hereditarii erunt Burgrauii et possessores, Tali adiecta conditione, quod quociens iusta et certa necessitate predictus dominus Rex et sui successores contra hostes suos et sacri Imperii dicto castro indigebunt, licebit eis dictum castrum intrare et